

Band V., Nr. 1287, Seite 50-52

Der erwählte Bischof Heinrich von Speyer beurkundet, dass die von den Edeln Wolfram, Heinrich und Konrad von Wiesloch, Gebrüdern, ohne seine als des Lehensherrn Zustimmung vorgenommene Verpfändung der – inzwischen von ihm zurückgekauften – Vogtei des maulbronnischen Bauhofs in Ketsch an Ingram von Heidelberg durch schiedsrichterlichen Spruch für ungültig erklärt worden sei und dass Ingram demgemäß ihm gegenüber auf dieses Recht verzichtet habe.

Lußheim, 1254. Februar 7.

Heinricus dei gracia Spirensis electus, imperialis aule cancellarius, universis Christi fidelibus tam presentibus quam futuris, presentem paginam cognituris, geste rei noticiam atque fidem. Ad universitatis vestre noticiam cupimus pervenire, quod, licet ius advocacie grangie de Ketsch fuerit Ingramo filio Ingrami de Heidelberg sine nostro et nostri capituli consensu nomine pignoris obligatum a nobilibus viris de Wissenloch, Wolframo videlicet et Heinrico et Conrado fratribus germanis, qui ipsum ius advocacie a nobis nullo medio in feodo tenuerunt, et nos postmodum a predictis nobilibus ipsum ius advocacie pro viginti duabus marcis puri argenti redimeri[m]us, sicu*d* patet per publicum instrumentum super hoc specialiter exaratum, tamen nolentes per obligationem pignoris memorati nobis in redempcione predicte advocacie ac nostro iuri aliquid deperire, iam dicto Ingramo diem placiti constituimus coram nobis, fideliter promittentes, nos acquiescere sibi velle quicquid in nominato iure advocacie secundum viam iusticie optineret, quod et ipse versa vice nobis faceret illud idem. Tandem ipse hiis optemperans, assumptis quibusdam suis consanguineis et aliis personis ydoneis et discretis se die, quem sibi prefiximus, presentavit. Nos itaque studiose circumspicione versantes cogitavimus, quibus modis nostro iuri *comode* caveremus, cum non videatur iniuriam facere qui utitur iure suo, grangiam eciam pretaxatam faceremus luculenciori tranquillitate gaudere, cum per angarias, id est extraordinaria servicia, sepius sit gravata, diligenter discuti fecimus ipsam causam et discussam obtulimus personis ydoneis, providis et honestis, iniungentes ipsis per fidei sacramentum, quod nec timore, odio vel favore nullus ex ipsis supprimeret veritatem, quin secundum suam conscienciam quilibet quod sibi potissimum videretur sentencialiter diffiniret. Igitur cum predictorum unusquisque ventilata causa de cognitione ipsius sollicite cogitaret et ad propalendam veritatem suas consciencias instaurarent, tandem omnes concorditer in unam sentenciam convenerunt sentenciando pronunciantes per sacramentum fidei et baptismatis quod susceperant, quod idem Ingramus nullum ius

II

advocacie in ipsa curia de Ketsch posset vel deberet habere occasione pignoris memorati, maxime cum iam dicti nobiles de Wissenloch a nobis et nostro capitulo in predictum ius advocacie sine medio infeodati essent et propterea sine nostro consensu ad talem obligationem non possent extendere manus suas nec ad ipsum Ingramum dicte advocacie transferre dominium, tali modo per consequens eciam abiudicantes sibi omne ius advocacie, quod habere se contendebat in curia sepedieta de Ketsch sive in bonis ad ipsam pertinentibus universis, ita quod nulla servicia sive iura vel alias consuetudines quocunque nomine censeantur pretextu advocacie deinceps debeat, sicut nec usque de iure debuit, imponere grangie pretaxate. Quorum sentencie prelibatus Ingramus stare volens in nostris manibus resignavit ipsum ius advocacie de Ketsch grangie cum universis que superius sunt expressa, omni renuncians penitus actioni, quam habebat in ipsam curiam sive fratres monasterii de Mulenbrunnen, et tali modo omnia sunt discrecione provida conplanata et ad pacem et concordiam sunt redacta. In cuius rei testimonium et evidenciam plenioram videlicet nostri H. Spirensis electi, imperialis aule cancellarii, sub quo hec facta sunt, prepositi sancte Trinitatis, Wernheri dicti Morkin de Wissenloch, Petri de Steinach¹, . . . de Stralenberg, Ludwici de Schipphe, Dietheri de Mure, civitatis de Heidelberg, Bertholdi de Hirsberg sigilla presentibus sunt appensa. Testes huius rei sunt: nos H. Spirensis electus, Gothefridus abbas de Mulbrunnen, Waltherus abbas de Alba, . . . abbas de Siniszheim, prepositus sancte Trinitatis, Albertus canonicus sancti Gwidonis, Wernherus dictus Morgin de Wissenloch, Ludwicus de Schupphe, Dietherus de Mure, Rapheno de Menczigen, Goler de Raphensberg, Heinricus de Liechtenawe², Anshelmus de Muncheim³, Spor de Winneheim⁴, Conradus dictus Dyabolus de Mure, Heinricus dictus Eppinger de Hentschuchheim, milites, Heinricus scultetus de Bruchssella, Gumpertus scultetus de Heydelberg et alii quam plures.

 Acta sunt hec in curia Lusheim⁵, anno domini millesimo ducentesimo quinquagesimo quarto, sabbato ante Septuagesimam.

—

Nach dem *Liber Obligationum* des Stifts Speyer im GLA Karlsruhe, Bd. 1, fol. 161.

¹Neckarsteinach.

²*Liechtenawe*, nicht identifiziert. Lichtenau, bad. B.A. Kork ist wohl erst späteren Ursprungs (vgl. Kolb, Lexikon von Baden, Bd. 2, S. 212).

³Münzesheim.

⁴Vielleicht Weinheim.

⁵Altlußheim.

Überlieferung und Publikationen

Lagerort:

GLA Karlsruhe

Signatur/Titel des Originals:

67/449 fol. 161 r - 162 r

Editionen:

FRANZ XAVER REMLING (HRSG.): Urkundenbuch zur Geschichte der Bischöfe zu Speyer, 2 Bde., Mainz 1852-53. [ND Aalen 1970], Bd. 1, S. 256 (einige Namensvarianten).

Weitere Angaben

Sprache:

Lateinisch

Ausstellungsort:

Lußheim

Aussteller:

Heinrich; Bischof von Speyer

Ortsindex:

Altlußheim Wohnplatz (6262)
 Altlußheim, HD
 Altstadt Wohnplatz (5864)
 Altstadt, Heidelberg, HD
 Altwiesloch Wohnplatz (6615)
 Altwiesloch, Wiesloch, HD
 Bad Herrenalb Wohnplatz (6828)
 Bad Herrenalb, CW
 Bruchsal Wohnplatz (5319)
 Bruchsal, KA
 Handschuhsheim Wohnplatz (5871)
 Handschuhsheim, Heidelberg, HD
 Ketsch Wohnplatz (6376)
 Ketsch, HD
 Leutershausen : Hirschberg an der Bergstraße HD
 Leutershausen Wohnplatz (6687)
 Liechtenawe
 Mauer Wohnplatz (6402)
 Mauer, HD
 Maulbronn Wohnplatz (7043)
 Maulbronn, PF
 Menzingen Wohnplatz (5515)
 Menzingen, Kraichtal, KA
 Münzesheim Wohnplatz (5516)
 Münzesheim, Kraichtal, KA
 Neckarsteinach, HP
 Oberschüpf Wohnplatz (3684)
 Oberschüpf, Boxberg, TBB
 Ravensburg Wohnplatz (5464)
 Ravensburg, Sulzfeld, KA
 Schriesheim HD
 Schriesheim Gemeinde (6509)
 Sinsheim Wohnplatz (6553)
 Sinsheim, HD
 Speyer, SP
 Weinheim Wohnplatz (6601)
 Weinheim, HD